Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1153 8° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1153 8° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1153 8° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1153 8° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1153 8° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1153 8° copy 1

IANI GVLIELMI

ROSÆ

EPIGRAMMATA.

AD VIRVM ILLVSTREM
HENRICVM RANTSO-
VIVM.

ROSTOCHII
TYPIS AVGVSTINI
FERBERI.
Anno M. D. XXC

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1153 8° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1153 8° copy 1

VIRO ILLVSTRI HENRICO RANTSOVIO REGIO IN HOLSATIA VICARIO, &c.

Flos Cimbrorum, Rantsoa gentis ocelle
Henricc, in primo defixus lemmate, numquid
Hibernas mirare rosas & præcoqua dona?
Scilicet Aonio qui florent vertice flores
Non vlla aut anni aut aduersi iniuria cœli
Defectos vegeta coget marcescere vita.
Inde hoc, exiguum quamuis, vir maxime, munus
Mitto; tui miro mentem percussus amore.
Namq; tibi incoctum doctrina pectus, & arte
Excultum ingenua, meritis maioribus auget
Bellipotentum atauûm laudes ac fortia facta.
Hinc tua se didit varias laus inclyta in oras,
Conciliatq. ipsis populi rectoribus vltrò,
Magnanimo imprimis regi, Danausq. Getesq.
Noruagiusq. hominum extremus quẽ pronus adorat

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1153 8° copy 1

Et te, vatem ipſum, certatim adamantq. coluntq.
Muſej vates, cultis qui verſibus olim
Vociferabuntur venturis ordine ſæclis
Virtutis decora ampla tuæ gentemq. tuorum:
In quibus vt non ſim; tamen & mea carmina ſi quod
Nomen apud ſeros retinebunt fortè nepotes
Rantſouiorum vnà præluſtria ſtemmata dicent,
Et manſura tuis præpandent lumina factis.
Tu modo creſcentis ne tenuia dona poëtæ
Maioriſq. rudimenta atque proœmia Muſæ
Aſpernare; ſed, vt conſueſti, fronte ſerena
Suſcipe, & addictum facilis complectere amicum
Expertem fuci, & veræ virtutis amantem.

IANVS GVLIELMVS.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1153 8° copy 1

IANI GVLIELMI

ROSÆ.

AH quoties gelidæ media inter frigora brumæ
Suda mihi blandi veris imago subit,
Et desiderio pellectus, vt ante, vagandi
Priua suis doleo rura iacêre bonis.
Nam neq; graminea campi vlli in veste virescunt,
Arboreæq. auium stant sine honore domus:
Vlla neq; incultis plantarum surgit in hortis:
Nusquam formoso lilia de calice,
Nusquam, quæ reliquas princeps reginaq. stirpes
Exsuperat folio luxuriante, rosa:
Noster amor rosa, quæ solis Heliconis in vmbris
Pubescit lauris æmula virginibus,
Quæ mihi odoriferis satiato suauiter auris
Protelo in docto carmine sæpe fuit.
Cum iuuenantem animum primo sub vere iuuaret
Inter crescentes ire redire rosas;
Et modò maturo spoliare rosaria fructu,
Floridaq. in nostras texere serta comas:
Et modo vicinas in vota ciêre Camœnas,
Carminaq. argutis ludere arundinibus.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1153 8° copy 1

Scilicet Assyrios alius conquirat odores,
Et vitam externis ducat in illecebris,
Cui natura satis patrio non sufficit orbe,
Adq. voluptates est sua terra parum:
Me iuuet hos luxus & nostri ruris inemtas
Interdum priscè sumere delicias;
Halantemq. rosam matris decerpere dumj
Espina,& molli sæpe fouêre manu.
Ecquid enim spiret bene-olentem suauius auram,
Quam rosa,dum verna primula surgit humo?
Dum caput & blandos alabastri pandit honores,
Fuluus & in teneris flos hiat vnguiculis:
Illam non Arabum vincant de gramine odores,
Vlla nec extrema messis in Assyria.
Illam siue Venus iussit mortalibus ægris
E proprijs natam surgere basiolis,
Dum fortunatis latè disseminat agris
Ignea quæq. tulit basia,quæq. dedit:
Siue Ioui ad cyathos dum præsto est fortè Cupido
Ah noua inexpertis gaudia cælitibus
Edidit,effusi per ludum in Chloridos arua
Nectaris, & spumæ qua Venus orta satu.
Vtcumque est, certè quocunque è semine natam
Ipsa suis tinxit Cypria vulneribus:
Dum dea semianimem lethali vulnere Adonin
Nequidquam letho nititur eripere.

Dicite

Dicite mi Muſæ, & Veneris renouate dolorem
Vt dea formoſo tabuit in puero,
Quem Cypro in magna patria ſuccenſa ſenecta
Progenuit mater Myrrha eademq. ſoror.
Hic olim matri geminorum fertur amorum
Vnus poſthabito Marte fuiſſe dolor;
Illi mane nouo comes, illi veſpere ſero
Viſa fuit tenerum claudere iuncta latus.
Nec puduit, puerili animo dum diua placêret,
Hiſpida cœleſti retia ferre manu:
Ah pereat quicunq. plagas & retia primus
Texuit inuitis ſubdola cœlitibus.
Hinc nata inuiſi feralia ſemina belli,
Hinc variæ mortes corripuêre gradum,
Hinc auro contra dilectum vidit Adonin
Deſerta exanimem rupe iacêre Venus.
Illum ſæuus aper venantem in montibus altis
Deprenſum raras ſtrauerat ante plagas.
Ad quem luctu amens dum fertur Cypria, ſpina
Currentis niucos pungit acuta pedes:
Quam ſupra humanæ pendebat debita curæ
Nata ſub hamato plurima vepre roſa.
At dea triſte gemens mœſtum manare cruorem
Vt videt è rupti vulnere hiante pedis,
Manare & ſparſos diuino ſanguine ſentes
Adſpicit: iniuſtis multa locuta rubis,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1153 8° copy 1

Hæc tamen è medijs enata rosaria dumis
(Flens ait) hæc nostri signa doloris erunt,
Quæq. mihi candore prius, magis inde placebunt
Purpureo duri vulneris indicio.
Finierat lacrimans. at tacti sanguine sentes
Ilicet inuersis erubuere rosis:
Vt cum mutarunt pudibundæ virginis ora,
Strictura aut candenti vt rubet in chalybe.
Inde per immensum sparsæ efflorescitis orbem
Heic illhic folio versicolore rosæ,
Vos tutela deûm, Venerisq. exinde voluptas,
Et Floræ ante horti cetera delicię,
Nec non præ reliquis Charitum vos triga sororum
Ad labra irrigui nutrit Acidalij,
Et vos Bacchus amat; primus fragrantia Bacchus
Expressa è vestris vina bibit folijs,
Et positas magnorum ad puluinaria diuûm
Instituit sanctos pacificare Deos,
Quin sertis simul intextas halantibus idem
Intulit & mensis intulit & choreis.
Quid loquar, vt dubijs languentia corpora morbis
Protinus admota restituatis ope?
Vtq. nec officio vestro iustisq. supremis
In dura miseri destituamur humo,
Aonisinq. bono vt soliti pro carmine vates
Sertarum è malacis texta viêre rosis.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1153 8° copy 1

Vos ego perpetuo, si qua est ea gratia, dicam
Qualicunq; mei carminis obsequio,
Incedamq. rosis euinctus tempora vernis.
Vos ego dum plenis naribus olfaciam,
Ne mihi sit nimium sectari vnguenta; sed ipsam
Arabiam, dites despiciamq. Syros.
Et tamen vt memini, blandis cum pascerer auris,
Aestiuusq. siti finderet arua canis:
Quæ matutino viguissent sole, repente
Deciduas medio deperijsse rosas.
Vna dies tantum terris monstrarat honorem,
Atque eadem abstulerat (prò dolor) vna dies.
Fallor an & doctis sic apta iuuenta Camœnis
Labitur, & numquam post reditura fugit?
Afugit vtilior, subrepit inertior ætas;
Vt spincta rosa deficiente manent.
Quisquis es ergo rosæ blando oblectatus odore,
Sis memor vt vitæ sit breuis hora tuæ.
Te iuuet à prima coluisse Helicona iuuenta
Si sapis, atq; artes addidicisse bonas.
Cuncta rosæ pereunt instar mortalia, sola
Quæ parta ingenio est gloria morte caret.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1153 8° copy 1

IANI GVLIELMI.

EPIGRAMMATA IN MEDICOS ALIQVOT ILLVSTRES.

IN APOLLINEM.

PHœbe pater, ſeu tu Deus es ſiue auricomus Sol,
Et Solis donum eſt & valitudo Dei.
Corpora Sol vegetat diuino viuida ab igni,
Ortaq. ab æterno ſunt bona cuncta Deo.
Sed quemcumque pater te ius eſt fasq. cluêre,
Reſpice perpetuo me bonus auxilio.

IN EVNDEM.

QVis mihi præferri poſſit Deus? eſt bene-factis
Et meritis homini ſi Deus vllus homo.
Nil animo melius, nil vita carius: illum
expolio vates; hanc tueor medicus.

IN

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1153 8° copy 1

II.

IN ÆSCVLAPII statuam.

QVÆ ſtatua? AſclepI. cur bini hinc inde draco-
Inſomni ſuperandi hi medicis ſtudio. (nes?
Ipſe ſenex: vitam tuitur. fert laurea ſerta:
Hæc quoq; vti medicus, tetra venena fugant.
Nodoſum cur dextra pedum tenet? haud facul artem
Diſci tot ſeptam amfractibus indicio eſt.
Inſulam habet: nympharum & ſobrietatis amans eſt.
Cerno canem: expoſitum nutrijt illa Deum.
Hoſtia cur capra eſt? auctori nempe ſalutis
Perpetuæ pœnas febris alumna luit.

IN CHIRONEM.

HErba ſolo, ſidus cœlo, inq. animantibus vlcus
Me phyſicum medicũ clamat & aſtronomum.

IN HIPPOCRATEM.

HErculis Aſclepiq. nepos feror. ille feris nos
Eripit; hic morbis: hic genio; ille manu.
Ipſe manu viroſa leuo dum vulnera, morbos
Ingenio, egerunt quod duo, ſolus ago.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1153 8° copy 1

IN HEROPHILVM.

HErophilo herbarum dederat vim noſcere Phœbus,
Et ſua contulerant munera Pierides.
Hinc vates medicusq. fuit. quis credat? acumen
Obfuit,& vegeti vis nimia ingenij.
Hoc medici culpant. ſed te hac,doctiſſime, cum vix
Culpa quiſquam, ecquis laudibus æquiparet?

IN ASCLEPIADEN.

QVis te Aſclepiade taceat? ſeu Rhetora,ſeu te
Eſſe rear medicum: ſed potius medicum.
Quem te eſſe haud alios ſeruando ita diue probaſti,
Quam tua quod nulla victa ſenecta lue.
Pluto indignatus tardos deſcendere manes,
Te remoram ſcalis deijcit,& moreris.

IN ANTONIVM Muſam.

MVſa,tibi Auguſto ſeruato Roma fatetur
Debere,auratæ teſtis honos ſtatuæ.
Felix ô, ſi itidem defendere cetera poſſes,
Nec tibi Marcelli balnea probra forent.

Iam

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1153 8° copy 1

Iam ſiue error ineſt facto, ſeu terror herilis
Culpa animi hoc, illo proditur ingenij.

IN. CL. GALENVM.

SAlue ſancte ſenex medici laus altera fundi,
Par Phœbo, & Coo non minor Hippocrate:
Inuenit ille artem, tu perficis: ingenij illhic,
Iudicij hîc fuerat vberioris opus.

IN THESSALVM
τὸν ἰατρονίκην.

THeſſalus hic iaceo, medicûm degente tropæo
Adiecto cippis Appia longa tuis.
Plorate agroti, mecum medicina ſepulta eſt,
Quæ viuo vixit me, moriente obijt.

IN EVNDEM.

QVI medicinæ audit victor, num tradidit artem,
Ille orbi, an, victor quod ſolet, eripuit?
Hoc potius. teſtis vel millium Claudius inſtar,
Et titulus vacui certa fides capitis.

In

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1153 8° copy 1

IN ALEXANDRVM TRALlianum.

PAtria Alexandro Tralleis, domus inclyta Roma,
Ars eadem quæ fratri medicina fuit,
Ætas quæ regem venerata est Iustinianum.
Hoc satis. ingenium scripta operosa docent.

ET I-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1153 8° copy 1

EPIGRAMMATA
Alia.

IN VITAM HVMANAM

DEmocriti vita hæc euanida perpete riſu,
Heracliteis pingitur & lacrimis.
Sollicitum ne metu mage quid, ſpe vanius? at nos
Inter ſpem miſeri viuimus atque metum.
Rectè ergo illi auris & noctis inanior vmbris,
Huic viſa eſt triſti triſtior helleboro.

IN M. ATTIVM PLAVTVM:

MArce Atti, ſanctamne rear te Cyprida pullum
Eduxe? an Paphio, an Idalio in nemore?
Inde apportaſſe Hyblæo mage dulcia melle
Verba, & Acidalijs ebria delicijs.
Sic certe eſt. teſtes tua vel ruta cæſa poëtis
Omnibus vnum omnes ſubripuiſſe ſales.
Et quid, verba habeas ſi nupta? venuſtior haud eſt,
In placito quam cum ludit amore Venus.

CAPRA

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1153 8° copy 1

CAPRA LVPI NVTRIX.
E GRÆCO.

HIsce lupi uberibus (miseram me) lacto catellum
Inuita, imperio desipientis heri.
Hac ope succrescet fera rursum in me ille futurus.
Ingenuum immutant nec bene-facta malum.

IN ROSCIVM.

MVLta legis Rosci. nam ciuica iura, poëtas,
Rhetoras, historicos, grammaticosq. legis.
Verum horum capias cum vix millesima quæque,
Multa alijs Rosci, sed mihi pauca legis.

IN ONNVM.

DVM spurco ore cies & nigro scommate risum,
His ego sum gerris, Onne, facetus ais.
Frustra es, rideri soli si rere facceto:
Morio sic nempe & scurra facetus erit.
Falsa tuis igitur dare nomina desine factis.
Namque ego te fatuum vel puto tritalogum.

IN

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1153 8° copy 1

IN EVRIPIDEM.

TOT tibi mellifluo manant sententiæ ab ore,
Quot numeri, aut plures his etiam Euripide.
Hoc de te Arpinas, sed mecum, dixit: & arte
Aonia quotquot dij poliere potes
Atteſtantur idem. tu macte hoc posteritatis
Iudicio felix post tua fata senex.

AD IANVM PALMERIVM MELLERVM.

QVam breuis heic datus est, Palmeri, fructus homullis:
Quos Cuninæ ipsi Morta propinqua rapit.
Non igitur semper studijs vigilare seueris,
Cessatum interdum ducere fas animum:
Et benè curato officio vinoq. iocoq.
Quod datur, id fama non reprobante datur.
Natalis meus est, huic te ius voce fauêre,
Et, bene te, sumtis dicere ius cyathis.
Vnà simus ai. stat duram exporgere frontem.
Inuita est dulci quæ sine vita ioco est.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1153 8° copy 1

IMITATIO AVSONIANA.

ME nec etiam Ausonij lusu contendere sit fas?
Atque animi questus proferre sub altisonum cæl,
Dum mala multa æui præsentis secum agitat mens.
Quid nam est quo regna atque vrbes stant incolumi? lex,
Quodq. artè iungit populos & consociat? ius.
Illa vt sarta duat, præponitur imperio rex:
Floreat vt pace atque viris & diuitijs vrbs.
At nostris odio est & regibus & ducibus ius,
Munimenq. vnum iam creditur imperij vis.
Hinc expulsa deûm pulcherrima longè abijt pax,
Et fremit emissus bellorum fulminibus Mars;
Et male-suada furit medijs in funeribus lis.
Tantis anne malis reliquũ vllum est confugium? spes.
Sed taceo. haud tutũ est contingere in vlceribus pus,
Et digito os cludens pater annuit Harpocrates st.

IN NOVAS ÆDES IOAN. LAVTERBACHII. P. L.

CAstalides vobis has Lauterbachius ædes
Dedicat, & vestris, quotquot vbique, choris.
At vos ô Musæ crescentem augère poëtam
Pergite carminibus, pergite diuitijs.

Inuida

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1153 8° copy 1

Inuida pallenti rumpantur vt ilia Codro,
At veſter vobis vſque poëta canat.

IN EASDEM.

VT decet hoc Muſæ, ſic veſtrum habitare poëtam,
Nec modo vos verſus ſed quoque tecta dare.
Inuidus heic macros corrodit Mæuius vngues,
Et ſecum, haud vatum eſt ædificare; canant.
Nec male: culta nouo ſed carmina ſunt lare digna,
At tua limoſa turba coaxet aqua.

DE SE ET P. PECKIO P. F. elegantiſſimi ingenij puero.

OMnes ſe dicit memorem mei Peckius annos
Victurum & noſtræ dulcis amicitiæ.
Dicit, at ô Muſæ quod dicit Peckius, hoc ne
Effluat oblito, ſæpe monête, animo.
Ipſe quoque, ætatem Pecki pro numine nomen
Mi fore ſub memori pectore polliceor.
Polliciti at ſi parua fides, haud deprecor ipſo
Expelli furcis Aone ab Aoniſin.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1153 8° copy 1

IN ROSCIVM.

BEllus homo es Roſci. quid ni? cui lingua tacêre
Neſcia verborum totmoda ſuppeditat.
Sed tamen hic bellus verbum ſi dixe. it vllum
Quod conſperſum aliquo ſit ſale, ne valeam:

IN MATREM SPARTANAM
è Græco.

EPugna fugitiuum, interfecto agmine, natum
Spartana, ab partus immemor, interimit.
Nempe ſuum Spartam germanũ agnoſcere ſanguen
Bellatorum animis, non genere aut proauis.

IN NÆVIVM.

QVid dicam, Næui, quare rabidi impete rict us
Nil meritum allatres meq. meumq. caput?
Fallor, an à vero non errat deuia fama,
Tranſuerſum faſtu te rapi & inuidia?
Hinc œſtro quaſi percuſſum baccharier omnes
Promiſcam inq. bonos, vt lubet, inq. malos.
Sic certe eſt. clamat linguæ petulantia, morbo
Curando eſſe omnem non ſatis Anticyram.

De

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1153 8° copy 1

DE AMORE
è Græco.

NE lacrymis spera flamam restinguere amoris,
Flama ea pauxillæ cedere nescit aquæ.
Auro semper amor medicante vegebit: at idem
Nec medio nascens obrutus est pelago.

IN AVILVM.

DIfferri populi me vocibus Auile gaudes,
Deq. meo tibi sunt parta tropæa malo.
Ipse tua & vulgi deliria rideo, dum mens
Hæc sibi nullius conscia flagitij est.
Hac ego fretus ouo. nam si non est potis à me
Præstari plebis fabula, culpa pote est.
Tu miser absumtus semper pungentis ab æstro
Inuidiæ, ah mihi quam supplicium acre dabis.
Scilicet vno isto furia hæc non pessima, semper
Ex est cultores perdit & ipsa suos.

IN ONNVM.

ROgatus elauisset Onnus vt nummis,
Medico, inquit, æger omnia mea transcripsi.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1153 8° copy 1

Quid, alter, addit ergo tantum erâ tmorbi?
Vinaria hoſpes, inquit Onnus, angina.

IN PALISCANVM.

SEptemtrionum filium Paliſcanum,
Peſtem voraginoſam patrij zythi,
Intercute errat qui periſſe aqua credit.
Nam dum helluatur & bibit diu noctu,
Pranſus paratus, ſed probè quoque appotus,
Inter cutem ſtagnante flumine eſt merſus
Non ſobrio vndæ, ſed phrenetico zythi.

IN AVLVM.

REctè ne te omnes Aule diuitem iactant?
Rectè, inquies, me; cui tot arca nummorum
Domi eſt beata millibus: tum agri tantum,
Quantum nec Afra Didûs byrſa circumdet:
Huc adde merces orbe ab extimo aduectas,
Hibericam, Indicam, Moſciq. pellitam.
Re ipſa tamen te heic, Aule, pernegas ditem,
Qui vt infimum mendicimonium popli,
Famis (miſer) metu harpagas, clepis cuncta:
Atri bolum ipſe & inuides tibi panis,
Scrutarioq. pro toga obſita pannis

Multa

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1153 8° copy 1

Multa ante quæstus vix teruncium soluis:
Obolo quam amicum subleues mori mauis.
Decoctor interuertit interim sumti
Te fœnoris grandiq. sorte & vsura,
Colonus agrorumq. subripit fructum,
Serui negotiantes & suum abradunt.
Tibi nempe es Irus, Aule, ceteris Plutus:
Nam qui vitur, non qui incubat bonis, dis est.

AD MVSAS
DE I. PALMERIO ET F. MODIO.

QVonam hercre loci putabo Musæ
Iam Palmeriolum meum & Modillum?
Vestras delicias measq. an illum,
Vt decreuerat, horridas per Alpes
Europæ Italiam petisse sumen
Rebor? an residem Mogani ad oram
Illa illa aurea publicare spica,
Queis plura aut meliora nemo legit
Horto ex Aonidum Allemaniarum
Filius, critices mala impetigo
Quemcumque attigit incitante psora?
Anne hunc Franciacis nouum hospitem agris
Vos abstraxe simul putabo? & amnes
Docto carmine sistere, & ferarum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1153 8° copy 1

Delenire animos,& eruditas
Aures indere,vti ſolebat,ornis,
Dum caſum patriæ ruentis,& tot
Deflet capta, cremata,diſq. iecta
Pridem mœnia,nomina alta deinceps.
At vos,ſint vbicumque,ne ſodalis
Iucundi immemores agant, monete
Et Palmeriolum,deæ,& Modillum.

AD. IOAN. POSTHIVM, ARCHIATRVM HERBIPOLITANVM.

POſthi dulce nouem decus ſororum,
Poſthi cui medici politiores
Adſurgunt medico politiori:
Vltro cui, cythara lubente,vates
Summittunt numeros,bono poëtæ;
Gratias tibi quotquot vſquam & vſquam
Dico,quod lepidum meum libellum,
Semper- mnemoſynon tui libellum,
Non cultis modo verſibus decorum;
Verum inſignibus & tuis ſuperbum
Cupiſti magis,& magis placentem

Mea

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1153 8° copy 1

Mea ſæpe manu teri, legique.
O inſignia nobilis poëtæ
Rara Iuppiter & ſerenioral
Ut vos exuuiæ oſcinis ſecundæ
Plumæ tergeminæ lubens adoro!
Ut te buccina! quæ miniſtra Poſthi
Doctrinæ & genij beata dona
Late notificas canore vaſto, &
Didis poſtgenitûm omnibus, quot vmquam
Muſas ſuſpicient Apollinemq.
Et tu laurea frontium corona
Doctarum, ô cderæ ſoror gemella!
Ut inſignibus optimi medentum
Pulchré conuenit, optimiq. vatum
Frons tua exitium mali veneni!
Frons tua emeritæ quies Camænæ.
Tu vero in medio citate campo
Qui venare decus perenne, Poſthi,
Et laudem omnibus à bonis perennem,
Cornu perpete perſonans, quod omnis
Præſens audit, & inſequens nepotum
Surrectis bibet auribus propago:
Macte inſignibus, ingenij politi
Veris teſtibus, aureæq. mentis,
Virtutum & ſtudij ſcuerioris,
Et mori indocilis tuæ camænæ:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1153 8° copy 1

Macte his dotibus, & meos phaleucos,
Sudanti calamo modo exaratos
Male atque illepide meos phaleucos
Lubens ſuſcipe, qualecunque munus;
Mei mnenoſynon fidele amoris,
O nouem decus vnicum ſororum.

AD AVRORAM.

Cum in pago quodam Veſtphaliæ peſtis metu inſomnia noctu vexarer.

AHme! quænã animi infelicem inſomnia mentem
Sollicitans hinc, iſtinc, aliunde, agitat?
Vt medio quamuis nocturnus in æthere ſomnum
Aduocet humanis ſollicitudinibus,
Ipſe tamen, cura adfectus mæſtoq. timore,
Cunctari ſæuas multa querar tenebras.
Nec me heſternæ angunt faſtidia cœnulæ, & atrum
Furfur & incocti ruſtica vappa, malè;
Nec quod molle latus ſqallentia grabbata radunt;
Magna ea ſemiruti munera ſunt tuguri:
Nec grauidæ latrone viæ, quem Belgica hiantem
Dimiſit patrijs montibus exitium:
Sed mihi quod peſtis, furiarum maxima peſtis,
Imminet, ha lateri proxima pæne meo,

Illa

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1153 8° copy 1

Illa ſuis pagum fertur viduaſſe colonis,
Et miſerè hanc etiam depopulaſſe caſam.
Illa angens me cura omnes oculis expellit
Somnos; dum vanos mi ipſe ego fingo metus,
Et furiæ aduentum paueo horridus, omnibus inq.
Heſuram immo herere autumo iam articulis.
Me miſerum! annè viæ in cauſſa eſt ſolum interual-
Quod genua & tremuli condoluere pedes? (lum
Omnia quod languent laſſato in corpore membra,
Pallidulam turpet quod macies faciem.
Ha patria, ha qua te veſtigem parte Lubecum?
Hiſnè ego te poſthac patria terra oculis
Conſpiciam? vel te ſaltem Agrippina videbon?
Quæ mihi tot caros conciliaſti animos
Doctorum vatum: tene ô cariſſime POSTHI
Cui niueo aſſiduus pectore candor habet?
Tene ô PEKIADE pullum Phœbi atque ſororum,
CARRIOq. & fratris qui mihi AHALA loco es?
An MODIVM, an PAPIVM, MARIVORDAM,
LAVTIVM, & illum
MELLERVM Almanis nobile ſidus agris?
Et te PETREI, cui debet Græcia, debet
Emendes tandem Tullius ipſe libros?
Vos ne, ſatin ſaluæ? ſaluo ipſi corpore tempus
Vllum erit vt reduci ſit rogitare mihi.

Atque

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1153 8° copy 1

Atque aduenticia traducere tempora cena,
Optatoq. iterum paſcier alloquio.
Ah erit: illa animum ſpes vnica relleuat ægrum,
Ne curarum vndis ſuccubuiſſe velit.
Tu modo diua pudoricoloribus aurea pennis,
Tu modo purpureum diua age redde diem:
Nec tibi ſit tanti Tithoni lectulus, vt me
Deſtituas mediis, impia, funeribus.
Sic tua ſancta fides thalami, meuate canetur
Vt foueas roſeo diua ſenem accubitu.
Ille etiam vitæ immortalem eſt aptus honorem,
Optati compos te tribuente ſui:
Demens, quem non perpetuæ quoque læta iuuentæ
A facili ſubijt munera te petere.
At nunc decrepitus quamuis, par cetera diuis
Nectar & æternam paſcitur ambroſiam.
Complexuq. tuo frigentia membra fouetur;
Nec tibi cum capulo eſt concubuiſſe pudor.
Quin vltrò incuſas properantem cedere noctem
Æthere, tam longa non ſatiata mora:
Et licet incuſes, nunc formoſiſſima ſaltem
Mane nouum properis accelerato rotis,
Ad laudesq. tuas feſtina accedere. ceſſas?
Ergo alia nobis, dura, vocanda via es.
Ipſe etiam Cephalum noui. ſed ſt: aut ego fallor;
Aut tener occiduo purpurat orbe polus.

Pur-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1153 8° copy 1

Purpurat, haud fallor: thalamum pudibunda reliquit
Nempe dea ad Cephali nomen, & erubuit.
Ne metuas dea magna, ego nc tua furta retexam,
Non adeo me omnis deseruit pietas.
Tu saltem inuisas cispellere perge tenebras,
Et me pestiferis eripe, sancta, locis,
Tuq Molane, mei consors sociusq laboris,
Quo duce tam longas sustinui ire vias,
Surge, agedum in tantis nimium secure periclis
Surge, nec in media stulte morare lue.
Hos fugiamus agros non fortunataq. rura,
Nos virosa etiam ne furia inficiat.

MARTINVS NORDANVS
DE ROSIS IANI GVLIELMI.

ANNE Venus Latia est, nimbo quæ tecta rosarum,
Hic GVLIELME sibi destinat hospitium?
Sic reor. ast causæ quid dicam? num velut olim
Illa suo tinctis sanguine capta rosis,
Sic hæc capta tuis: Latio quia flore renident,
Cunctarum & Venerum diuite rore madent.

Deli-

Delicium iuuenis! Diuam qui cogere possis
Sponte tuis Latium mutet vt illa rosis.

IDEM.

HVmanæ nobis simulacrum flebile vitæ
Dat breuis in medijs sentibus orta rosa.
Quæ cum ridentem calicis iam pandit honorem
Primulùm, & explicito flore comante nitet:
Vt non se prodit fragilem, reliquisq. pudorem
Fulgore vt plantis luxuriante facit!
At mox tacta nothis, posito capite, elanguescit
Et vix heu lapsi signa decoris habet.
Sic miseri in medijs curis nascuntur homulli,
Summula quîs vitæ quantula, quæso, datur?
Ah breuis. atq. eadem cum nobis optima visa est
Dulcacido nunquam non tamen illa madet.
Ergo, qui sapit, is dubiæ sic tempora vitæ
Ducat, spem vt longam ne inchoet ille quidem.
Sed mage præsentem studijs sic collocet horam
Prudens, & rebus sedulus inuigilet:
Ne frustra ætatis iuuenili flore peracto
Discere tunc cupiat discere cum nequeat.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1153 8° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1153 8° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1153 8° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1153 8° copy 1